

Sammelband

C 6 B
165

2681

PSALTERII
DAVIDICI COM-
PENDIUM,
IN FESTO JUBILÆO LUTHERANO
Saxo-Coburgiaco

Perfpicuo Commentario illustratum.

CASPARO FINCKIO Gies-

senfi, SS. Theol. D. Generali Superinten-
dente, Pastore, Assessore & Professore
Saxo-Coburgiaco.


3d 3567



F E N Æ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.

Anno M. DC. XVIII.



Versiculus 1.

BEatus vir, qui non abiit in Consilio im-
piorum, & non stetit in via peccatorum,
& non sedit in confessu subsannatorum.

2. Sed oblectatio ejus in lege Domini,
& de lege ejus meditatur die ac nocte.

3. Et erit tanquam lignum, quod plan-
tatum est secus decursus aquarum: quod fru-
ctum suum dabit in tempore suo.

4. Et folium ejus non exarescet: & o-
mnia quaecunq; faciet, prosperabuntur.


5. Non sic impii, sed quasi pulvis quem
projicit ventus.

6. Ideo non resurgunt impii in iudicio,
neq; peccatores in consilio justorum.

7. Quoniam novit Dominus viam ju-
storum: & iter improborum peribit.

Proce-





Prooemium.

DAVIDIS Psalmos, non sine causa Syracides vocavit dulcia carmina, *cap. 47. v. 11.* Gregorius Nyssenus Psalterium consolationem in luctu & funere, & Davidem ipsum suavem & jucundum vitæ comitem, nec injustè pii veteres, afflictorum *dulcia solatia.* Quid enim amarum proficisci potest ab eo, qui est dulcis hospes animæ, & Canticorum Davidicorum autor? quidni viva consolatio emanet ab eo, qui est noster paracletus, & ideò in terram missus, ut ibi habeamus consolatorem, ubi habemus è Cœlis protrusum accusatorem? Cumq; David, per cujus os Spiritus S. locutus est, *2 Sam. 23. v. 2. Luc. 1. v. 70. 2. Pet. 1. v. 21.* Vir fuerit secundum Cor Dei, *Act. 13. v. 22.* Cur ipsius Cytharam in quavis tribulatione non pulsemus? Eius Hymnodias in congressibus publicis ad Exemplum Constantini Magni, (*apud Euseb. lib. 4. V. C. cap. 15.* candemus? ad mensam cum Theodosio (*apud Sozomen. in lib. 2. cap. 23*) recitemus? cum beatissimis Martyribus in quibusvis adversitatibus momenta consolationum inde repetamus? cur non in Cathedris sacris, profundam, quæ in Psalterio est, Theologiam, ut non immeritò à Luthero parva Biblia appelletur, proponamus?

Quæ considerans ego, constitui, in concionibus

A 2

Hebdo-



Hebdomadariis, Spiritus S. gratia assistente, Librum
Psalmorum auditoribus meis proponere; adeoq;
non ita pridem initium feci, à primo, cujus explicatio
quia ad legendum à me petita est, publicis typis. &
quidem in sermone latino, in Festo huius nostri Jubi-
læo eam committo; commissurus commentationem
etiam in alios, si id per labores concatenatos, & edi-
tionem aliorum scriptorum, quæ affecta, nondum
autem confecta habeo, licuerit: sed omisso lon-
giori proœmio commentari incipiamus.

Analysis Psalmi primi.

1. Psalmus primus Basilio est Psalterii totius
proœmium; omnium item Psalmorum compendi-
um: Agit enim de beatitudine, quæ universæ Theolo-
giæ scopus est *Johan. 17. v. 2. 2. Timoth. 3. v. 16. 17.*

2. Inscriptione sive titulo caret: quia, ut anno-
tat *Augustinus*, propriam vocem Dei loquentis indu-
cit, ne quid divino eloquio preponeretur, aut primus
diceretur, qui non primus, sed unus est appellatus.

3. Psalmus est Propheticus, quales etiam sunt
octavus, decimus quartus, decimus nonus, vicesimus
quartus, vicesimus nonus. 45. 50. 53. 72. 87. 89. 93. 95. 96.
97. 98. 100. 110. 117.

4. Partibus constat duabus: prior agit de feli-
citate sive beatitudine justorum, qui membra sunt
Ecclesiæ veræ: posterior de infelicitate injustorum,
qui membra sunt Ecclesiæ malignantium.

5. In parte prima agitur de beatitudine, nega-
tivè & affirmativè, generaliter & specialiter.

6. Negativè in his verbis *qui non abint &c.* affir-
mativè in istis: *Sed oblectatio eius in lege Domini &c.*

7. Gene-

7. Generaliter in verbis: *Beatus vir*: Specialiter in his: & erit vir beatus similis arbori fructiferæ &c.

8. *Beatus*) in Hebræo est Nominativus pluralis *Afchrei* & sensus est: Beatitudines sunt illius viri: Nam Hebræis hoc nomen plurale tantum est, sicut apud Latinos *Divitiæ*, *opes*, non etiam singulare, ut in Lexico suo putat Buxdorffius; sed & rationem reddit *Rabbi D. Kimhi*, quod nemo ab uno & altero, sed si pluribus bonis affluat, felicis & beati nomine feratur. LUTHERUS reddidit *Wol dem*/ non tantum hic, sed etiam Psalmo 32. v. 1. 84. v. 6. & 119. v. 1. 2. 128. v. 1. 2. & 144. v. 15.

9. *Vir*) quod virum nominat, eo non excluduntur à beatitudinis consortio *foemina*, inquit *Basilius*, Nam & hæ cohæredes sunt gratiæ, *1. Pet. 3. v. 7.* & in Christo Jesu omnes unum sumus, *Gal. 3. v. 28.* quod facit, ut apud omnes pios male audiat vox *Theodori Beza*, dicentis: millies se malle à Diabolo, quàm à *foemina* esse baptizatum.

10. *Qui non abiit*) abiit ille, cum recessit à DEO, *Augustinus*.

11. *In Consilio impiorum*) quo nomine intelligimus pravitatem quæ nondum palam sese exerit, vel ut LUTHERUS accipit incredulitatem, quæ, ut ait *Basilius*, radix est omnium malorum, & ut habet *Theologorum* maxima, *Sola damnat*.

12. *Et in via*) Metaphoricè, pro instituto vitæ, actione, modo, quo hic, graditur ad beatificationem, ille ad damnationem, uterq; non tantum per expressionem, sed etiam progressionem, consuetudinem, continuationem.

A 3

13. Pecca



13. *Peccatorum*) Non illorum tantum qui natura sunt filii iræ, *Ephes. 2. v. 3.* Sed etiam quorum mentio fit *Rom. 3. v. 12. & seqq.*

14. *Non stertit*) Pii stant & vident salutare Domini, *Exod. 14. v. 13.* stant ut decem leprosi, *Luc. 17. v. 12.* stant ut Deo serviant, *Psalms. 134. v. 1.* Impii stant & delectantur peccato, inquit *Augustinus*, & interpretante LUTHERO, consuetudine peccandi callum obdixerunt, ut se flucti & corrigi à Spiritu sancto non patiantur.!

15. *Et non sedit*) stare plus est quam ire, & sedere plus quam stare. Innuitur igitur quod beatitudinis expertes sedeant, hoc est, conspirent cum impiis & scelerum ineant societatem. Id quod apparet ex simili Scripturæ Phrasi, *Psalms. 62. v. 4. Jerem. 15. v. 17.*

16. *In Cathedra*) Metaphora, qua significatur, concepta ex more male vivendi durities, sive acquiescentia. Loquitur ergo jam Hieropsaltes de peccato regnante.

17. *Illusorum*) Qui illusor est non audit cum arguitur, *Proverb. 23. v. 1.* omnia in pejorum partem interpretatur contra octavum Præceptum, Deum & quæ sunt ejus, ne tantillum quidem curat, *Vide 2. Johan. 3. v. 3. Psalm. 14. v. 1.*

Hinc doceamur.

1. **P**ietatem omnes beatitudines in sese comprehendere, ex eo quod Spiritus sanctus utitur numero plurali: *Beatitudines illi viro sunt.* Etenim hujus & illius pietas fert præmia vitæ. *1. Tim. 4. v. 8. Timenti Dominum non deerit omne bonum, Ps. 34. v. 10*
Timenti



Timenti Dominum bene erit, & in diebus consummationis illi benedicetur, *Syrach. 1. v. 19.* Quis permansit in mandatis eius & derelictus est? *Syr. 2. vers. 12.*

2. Si beati esse velimus, aversemur serio, ea quæ Deo displicent, amplectamur cupidè, quæ ei probantur. Videmus primò consilia impiorum, interiorè malitiam, pravas cogitationes, vitiosas concupiscentias. Nam cum & hæ contra legem sint, asserente Apostolo, *Roman. 7. v. 7.* peccata sunt, *1. Johan. 3. v. 4. II.* Nec stemus *in via peccatorum*: Malæ judicantur viæ, quæ sunt montosæ, spinosæ, lutosæ, Montosas ingrediuntur superbi; nihil nobis sit cum istis, quippe quibus Deus resistit *1. Pet. 5. v. 5.* Spinosas petunt avari & divites. Facestant isti: quia in solitudinibus & divitiis & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum, *Luc. 8. v. 14.* In lutosis ambulant luxuriosi: Transeant.

3. Semel autem ingressi regiam eamq; arctam *Matt. 7. v. 13. Luc. 13. v. 4.* Pietatis & beatitatis viam, semper progrediamur. In via pietatis enim non progredi est regredi, *inquit Bernardus.* Nec remoram faciat vitæ asperitas: Dilectis enim suis DEUS iter asperum facit, ne dum delectantur in via, obliviscantur eorum quæ sunt in patria, *Augustinus.* Petatur janua regni orando, quæratu benè vivendo, pulsetur in Dei servitio perseverando.

4. Porrò cum impiis consiliantibus, cum *in via peccatorum stantibus*, cum *in cathedra* subsannatorum sedentibus nihil nobis sit negotii, juxta gravissimam admonitionem Apostoli *2. Corinth. 6. vers. 14.* tripudiemus, quòd exivimus ex Babylone, *ex Apoc. 18. v. 4.* Nec dextras fraternitatis porrigamus Sacramentariis, sed

sed si quis venit ad nos & hanc doctrinam non affert, non recipiamus eum in domum: nec Ave ei dicamus. 2. *Johan. v. 10.* Beatus vir qui non abit in Concilio Sacramentariorum, nec sedit in via Cingliarum, nec sedet in Cathedra Tigurinorum, scribebat paulò an e beatissimum obitum, *Luth.* in Epist. ad Jacob. Probst.

5. Hoc inquam, agimus, ut bona cum conscientia gloriari possimus tum Davide: Non sedi in concilio vanitatis & cum iniqua gerentibus nō introibo; Odi Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo, *Psalms. 26. v. 4.* Cum Ieremia, Non sedi in concilio illusorum *Cap. 15. v. 17.* Talis illusor erat Cham, contemnens semen promissum ex lumbis Noë, *Genes. 9. v. 22.* Tales sunt omnes qui dicunt: ubi est expectatio adventus eius, 2. *Pet. 3. v. 3.* talis Papa Paulus tertius, qui omnem religionem habebat pro fabula; à quo non multum d' gener fuit *Leo Decimus*, qui ad Petrum Bembum dicebat: Ecce quantum profuit nobis fabula de Christo.

6. Ex hoc textu etiam erudiamur contra Papiſtas, concilia errare posse, Est enim concilium impiorum & Cathedra lezim, sunt concilia malignantium *Psalms. 22. v. 17.* & vanitatis, *Psalms. 26. v. 4.* & errasse illa patet tum ex Veteri, tum ex Novo Testamento.

7. Discimus, nos in hac vita, esse peregrinatores. Ambulamus enim in via, & qui pii sumus, nihil habemus in terris, sed tendimus ad πόλιν, μένουσαν. *Heb. 13. v. 14.* In qua nostrum est πολιτεύμα, *Philip. 3. v. 20.* Et mansiones multæ *Iohan. 14. v. 2.* Omnis homo advena est nascendo & incola vivendo, quoniam compellitur migrare moriendo, *Augustinus quæst. 191. 91. super Levit. Felices*




Felices autem qui se præfenti seculo nequam advenas & peregrinos exhibent, immaculatos se custodientes à malo, *Bernhard. Sermo. 3. quadrages.* Qui verò impii sunt, nihil habent in cœlis, & citato cursu tendunt in infernum.

8. Quid interim hodierni Monachi? Hi ingrediendo in mandras, Cœnobias, aut veriùs lupanarias, putant se vitare consortia impiorum, & exire, quæ verba ipsorum sunt, ex mundo. At sciant, secessum ab impiis esse duplicem: alterum externum, cum corpore malorum convictus declinatur: alterum, qui corpore & spiritu perficitur. Neuter convenit Monachis: Non prior: quia mercimonia in claustris exercent, concubinas alunt, pro libitu expatiantur, peregrinantur, mare & aridam transeunt, ut faciant unum profelytum. Non posterior, quia cultus idolatricos exercent, sunt in mundo & de mundo, contra *Johan. 17. v. 14.* Utuntur mundo tanquam utantur, contra *1. Corinth. 7. v. 30.* non obliviscuntur eorum, quæ retrò sunt, contra *Philippens. 3. v. 14.* & quàm nafariorum consiliorum autores sint, Jesuitæ imprimis, testantur tot historia.

9. Discimus, quodnam summum malum sit? videlicet Peccatum tum originale, tum actuale. Si enim beatitudines sunt illi viro, qui non abit in consilio impiorum, & c. utiq; omnes infelicitates sunt illi, qui abit, qui post concupiscentias vadit, qui cultum Dei negligit, contra Deum consilia agit, contra decalogum delinquit, ut patet ex parte secunda hujus Psalmi.

10. Consequitur etiam hinc, quòd Deus peccatorum autor non sit, Peccatoribus enim bene non
B est,

est, sed *V*a æternum eos comitatur: Deus nolens iniquitatem tu es, *inquit Psal. 5. v. 5.* Deus illud ipsum severe ulciscitur, *Exod. 20. v. 5.* Quorum autem Deus ultor est, eorum autor non est, *Fulgentius*, sed satis de primo versiculo.



Versiculus secundus.

16. In secundo de beatitudine agitur affirmativè, *h. e.* docetur, quinam sint verè beati, & quæ illorum *γνώσιμα*: *Sed in lege Domini voluptas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.*

17. *In lege*) per legem non tantum lex Mosaica, sed universa quoq; scriptura sacra intelligitur. Itaq; quod de lege hic loquitur, non sic accipi debet ac si reliquæ scripturæ excluderentur, In hebræo enim est vox Thora, quæ & legitur *Psal. 19. v. 8. & 78. v. 15. & 89. v. 31. & 44. v. 5. & 105. vers. 45. & c.* Et significat doctrinam sive institutionem: unde & Christus librum Psalmorum vocat legem, *Ioh. 10. v. 34. & 15. v. 25.*

18. *Voluptas eius*) significat omnem propensionem, complacentiam, obiectationem, studium indefessum, amorem summum, sic etiam usurpatur *Genes. 34. v. 19.*

19. *Meditabitur*) ferè instar Poëtarum & Musicorum (*vide Psalm. 45. v. 1.*) qui carmina & cantica sua meditari dicuntur, vide Servium in Virgilium *Ecc. 1. & confer Psalmum 35. v. 28. & 37. v. 30.* Usurpatur ea vox in Heb. etiam de columbis, eorumq; garritu sive gemitu, *Esa. 59. v. 11.*

20. *Die ac nocte*) non, ut etiam non dormiat & quiescat: Quod enim caret alterna requie, durable non est, sed notatur hac phrasi, assiduitas, frequentia, diligentia

diligentia, continuatio, id quod patet ex locutionibus similibus, *Psalm. 77. v. 3. 5. & 92. v. 2. & 119. v. 55. Luc. 2. v. 37. 1. Timoth. 5. v. 5.*

Loci communes.

INde discimus, 1. Quænam sit vera beatitudo? Ex primo versiculo didicimus, quid sit ἀποφαικῶς jam discendum, quid sit καταφαικῶς: Beati certè omnes volumus esse, *vid. August. lib. 13. de C. D. cap. 4. & lib. 8. cap. 8.* At in quo consistit Beatitudo vera & minimè fallax? Collocarunt eam Epicurei (teste *Cicer. lib. 3. Tusculan.*) in voluptate. Pecudes illi fuerunt, ut Hieron: appellat, Philosophorum; quibus annumero Cerinthum, *apud Euseb. lib. 3. Hist. cap. 28.* & Mahumetem, *in Alcor. cap. 28. 47. 48.* Collocarunt alii in divitiis, alii in honore, in quo tamen veram felicitatem sitam haud esse nonnulli ex Ethnicis agnovere: Refert enim Valerius Maximus, de quodam rege electo, quod aspiciens coronam, dixerit: ô pannum nobilem magis quàm felicem, quem qui penitius cognoscat quantis sollicitudinibus, periculis & miseriis sit refer-tus nec jacentem in luto tolleret. Alii in aliis Monachi in suis votis, de quibus omnibus dicimus cum *Aug. l. 19. de C. D. cap. 4. ex Psalmo 94. v. 11.* Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Nam vera beatitudo est in meditatione legis divinæ, qua cum fuerint destituti, Hercules, Theseus, Numa, Camillus, Cato, Scipio, Cicero, violèter ab Erasmo, Cinglio, Puccio, cœlo infertantur.

2. Quænam notæ sint Ecclesiæ & qui ejusdè legitima mēbra? Verbū Dei, idq; vocale & visibile, verbū Dei audientes & sacramēta usurpātes: Tales n. in hoc

B 2

Psalmō



Psalmo beati dicuntur, *confer Johan. 8. v. 31. Job. 10. 27. Psalm 72. v. 2. 3. Galat. 1. v. 8.* Habent quiddem & hæretici verbum DEI, sed ad speciem habent, non ad salutem, & Scripturarum consona voce convincuntur.

3. Verbum DEI frequenter, diligenter, ardentè esse audiendum, ex ejus enim auditu fides, *Rom. 10.* per illud regeneramur, *1. Pet. 1. v. 23. Iacob. 1. 18.* Plantamur in hortum Eden, & montem Libanon, *Psalm. 92. v. 13.* Christum cognoscimus, per quem cognitum vita æterna, *Johan. 17. v. 3.* Justificatio. *Esa. 53. v. 11.* in illo vivimus ut Embrio clausus in alvo. Unde vocatur verbum vitæ, *Johan. 6. v. 68. & c.*

4. Adeoq; non esse admittendos Enthusiasmos. Deus enim non per somnia, aut visiones, non per raptus, aut extases, sed per verbum auditum, cogitatum, lectum, est efficax, & quod fieri crediq; velit, revelat. *Rom. 1. v. 16. Heb. 1. v. 1. Johan. 1. v. 18.*

5. Atq; hoc admissio, vertissimum esse axioma Theologicum: *oratio, Lectio, meditatio, tentatio faciunt Theologum. Lectio inquit, meditatio invenit, oratio, postulat, contemplatio degustat,* inquit Augustinus lib. 2. de scal. Paradyfi. cap. 2.

6. Meditari debemur verbum Dei, sed non sine affectu & intellectu & cum contradictione ut Monachi, quorum cor est in foro, non in choro, non ut Moniales, quæ pro *Beatus Vir*, canunt *Beatus Vir*. Non clamant sed amans cantat in aure Dei.

7. Verbum *meditari* nos monet in Psalmis esse artificium Poëticum; unde Syracides eos vocat, dulcia carmina, *Süsse Lieder/ cap. 47. v. 11. & mentio fit instrumentorum Musicalium, Psalm. 33. v. 2. 92. v. 4. & Psalm. 6. v. 1.* Vide Josephum, *Lib. 7. antiquitatum, cap. 10.* Refert vir undiquaq; doctissimus, *Henricus Stephanus,* quod

quod aliquando Romæ cum viris doctis contulerit, qui artem Poëticam in Hebraicam linguam adeo asperam atq; horridam cadere posse negarent, ideoq; se magnopere mirari dicerēt, quid Antonio Flaminio in mentem venisset, ut venam suam in vertendis Davidicis Psalmis exercendam putaret. At rectè inter alia respondit Stephanus, duo esse ornatus genera, unum mollem & effœminatum, alterum fortem & virilem. Hunc autem in Psalmis (qui & illos deceat) non illum quæri debere: Et postea profert locos, qui non tantùm Poëtica quædam divertitula habent, sed longè lateq; per calles Poëticos expatiantur; ut *Psalm. 104. v. 1. & seqq. Psalm. 18. v. 8. & seqq. Psalm. 107. v. 24. & seqq. Psalm. 124. v. 3.* Hinc Melanthon Davidis carmen censet Atticum esse. Romanenses igitur Critici, quorum Stephanus meminit, similes sunt asino Aesopico, quod tardum & inconditum cantum cuculi præferebat vibriffationibus Luscinix dulcissimis.

8. Laici à lectione Scripturæ S. nullatenus sunt arcendi. Non enim Psalmus distingvit inter Clericos & Laicos, sed omnibus omninò sine discrimine, qui beati esse cupiunt, legem Dei, tanquam preciosissimum κειμήλιον commendat. Scrutentur igitur scripturas. *Iohan. 5. v. 39. &* cum habeant Mosen, qui de Christo scripsit, *Iohan. 5. v. 47.* & Prophetas, qui ad unum omnes *Aetor. 10. v. 43.* testimonium de ipso perhibent, hos audiant.

9. Scriptura sacra norma ac regula est fidei, vitæ controversiarum; Hic enim commendatur ii quorum voluptas est in lege Dei, Hinc commendantur ii, qui juxta hanc unicam normam, cultus divinos

instituant, ut David *1. Paral. 16. v. 40.* Josaphat, *2. Paral. 17. v. 9. & 10.* Ezechias, *2. Paral. 30. v. 15.* Josias, *2. Paral. 34. v. 21. 2. Reg. 22. v. 13.* Zorababel, *Esd. 2. 2. v. 2.* Contra verò à Deo reprehenduntur & puniuntur, qui à scripto verbo recesserunt, ut patet ex historia Jejeroboami *1. Reg. Gedeonis, Judic 8. v. 27.* Saulis, *1. Sam. 13. v. 13.* Salomonis, *3. Reg. 2. v. 3. & cap. 11. v. 33.* Ad legem igitur & testimonium, *Esa. 8. v. 20.*

10. Licet renati liberati sint à lege quoad maledictionem, coactionem & justificationem, non tamen prorsus sunt sine lege. Usus enim legis triplex est: *Politicus*, qui locum habet in non renatis: *Pædagogicus*, qui locum habet in justificandis, iisque; lex Pædagogus est ad Christum, *Gal. 3. v. 24. didacticus*, qui locum habet in justificatis & est 1. in docendo. 2. in arguendo 3. in excitando.

11. Non rectè colitur Deus nisi quum obtemperatur verbo ejus: Hoc enim hic insinuat Propheta, quando non simpliciter beatos prædicat illos, qui Deum timent, sed pietatem designat per studium legis. Non ergo homini pro arbitrio fingendi sunt cultus divini, sed ex verbo & Præceptis divinis pietatis regula petenda est. *Esa. 29. v. 13. Matth. 15. v. 6. Psalm. 106. v. 39. Ezech. 20. v. 18.*

12. Nostræ sermocinationes die ac nocte, in conviviis, itineribus, & omnibus actionibus esse debent, de lege Dei. Sic Christus erit in medio nostrum *Matth. 18. 20. Luc. 24. v. 15. 36. Marc. 16. v. 14. Joannis 20. v. 19.* Benedicamus ergo Domino omni tempore, semper laus ejus in ore nostro, *Psal. 34. v. 2.*

13. Deo non probatur cultus coarctatus & servilis, sed vult ut hilari animo ad illum accedamus. Requirit enim hic Psalmus, ut in lege Dei sit nostra voluntas & desiderium. Unde promisit Deus se legem suam

suam in corda nostra inscripturum, *Ierem. 31. v. 33.*
& Populus Nov. T. vocatur populus spontaneus,
Psalms. 110. v. 3.

14. Culpabiles sunt, qui ore & labiis Deo ap-
propinquant, corde verò ab eo recedunt, hoc est,
utcunq; saltem præcepta ejus custodiant, non studio
legis divinæ, sed donis hominum inducti. Tales
erant olim Israelitæ, qui reprehenduntur *Esa. 29. v. 23.*
Matth. 15. v. 8.

15. Discrimen est inter verè pios & hypocritas.
Illi enim lege Dei ex animo delectantur, perseveran-
ter & constanter nocte & die illam meditantur se-
cundum interiorem hominem *Rom. 7. v. 22.* non osci-
tantes, non obiter, non perfunctoriè, ut hi, qui quic-
quid faciunt, serio legis amore non faciunt, & in aliis
cogitationibus occupantur potius quàm in commen-
tatione & sermone legis divinæ. *Hactenus etiam ver-
ficulus secundus.*

Verficulus III.

21. **B**eatitudinem I. Psalmus descripsit generaliter
jam specialius: *Et erit tanquam lignum quod plan-
tatum est secus decursus aquarum; quod fructum suum de-
bit in tempore suo, & folium eius non defluit, & omnia qua-
cunq; facit, prosperabuntur.*

22. *Tanquam lignum*) lignum pro arbore more
Hebræo, & non pro arbore quavis, sed olea, aut jucun-
dissima palma, *Psalms. 92. vers. 13. Ierem. 17.*
vers. 8.

23. *Quod plantatum est*) nō quod seipsum plan-
tavit, sed plantatum est à Patre cœlesti, tanquam vero
agri.



agricola, *Ioannis 15. v. 1.* Plantatum per ministerium
verbi, *Corinth. 3. v. 6.* Confer *Jerem. 17. v. 8.*

24. *Secus decursus aquarum*) Rigatur arbor illa,
aquâ vitæ, *Apocal. 22. v. 1.* & sunt aquæ illæ quæ egre-
diuntur de sanctuario. *Ezech. 47. v. 122.* Tacitè hîc in-
nuitur antithesis, inter pios & impios, qui etiam ar-
bori comparantur, sed exarescenti, & evanescenti,
Psal. 37. v. 35. Quamvis enim impii omnium rerum
copia affluant, *Psal. 4. v. 8.* quia tamen plantati non
sunt ad harum aquarum decursus & propter con-
temptum verbi, non habent Paulum plantantem,
Apollo rigantem, etiam non habent Deum dantem
incrementum, & Spiritum sanctum de ventre, more
aquarum fluentem. *Ioan. 7. v. 38.*

25. *Quod fructum suum dabit*) id est, Beatus non
erit lignum aridum, *Esa. 56. v. 3. 4.* & seqq. non Arar,
Jerem. 17. v. 6. & *48. v. 6.* hoc est, ut Rabbi D. Kimchi &
Vatablus interpretantur, juniperus, vel ut rectius 70.
& Pagninus, myrica, quæ Plinio *lib. 13. cap. 21.* Tamarix
dicitur, & arbor sterilis est, & humilis, secundum il-
lud Virgilii *Ecclog. 4.* Non omnes arbuta juvant hu-
milesq; myricæ.

26. *Fructum suum dabit*) dabit sponte sua, non
naturaliter, prout vox sponte attribuitur rebus na-
turalibus, ut cum Cicero *de natura Deorum*: Ignis, *in-*
quit, per se ipse & sponte sua movetur. Et Virgilius
Eclog. 5. Sponte sua, sandyx pascentes vestiet agnos:
sed eo sensu quo populus N. T. dicitur spontaneus.
Psal. 110. v. 3. qui à Spiritu sancto agitur ut agat, *Rom. 8.*
v. 14. ejusq; sponsio est voluntaria, de qua sponte illud
sensu Theologico rectè prædicatur, per ea quæ dispu-
tat *Scalig. Exerc. 77.*

27. *Tem-*



27. *Tempore suo*) quando Deus voluerit, iusserit, vocaverit, probaverit.

28. *Tempore suo*) Ita loquitur Psalmus propter impios, quia hi licet præcoces ostendant fructus, nihil tamen nisi abortivum producant. Unde accuratè observavit Felinus, quòd scriptura sacra potentiam malorum passim similitudine Cedrorum exprimat, malitiam verò & nocendi studium, spinarum atq; tribulorum, sterilitatem verò post diligentem cultum ferentis labruscas. Contra vitis, olivæ & palmæ imaginibus sanctorum felicitatem, hoc est, bene merendi de omnibus studium & successum, morumq; summam suavitatem. Cedrorum altitudine certam eorum felicitatem & gloriam, rosarum & liliorum doctrinam & salvificum famæ odorem de prædicet.

29. *Et folium eius non defluet*) In hebræo est, non arefcet aut siccabitur. Unde LUTHERUS reddidit Germanicè, *Seine Bletter verwelcken nicht*: Piscator (LUTHERO mastix) *Dessen Bletter nicht abfallen.*

30. *Arefcere*) de hominibus dicitur translata, sicut enim naturaliter succo, viribus & humido radicali exhauriuntur, & ob calorem intensum deficiunt, ita rectæ rationis succus, corruptis eorum ingeniis exiccatur & exhauritur: similis locutio est *Exod. 18. v. 18. Esai. 64. v. 6.*

31. *Et omnia quæ faciet, prosperabuntur*) hoc est, diligenti dominum omnia operabuntur in prosperum. *Rom. 8. v. 28.* nulla manebit adversitas, si nulla dominabitur iniquitas, *Augustinus.*

32. *Omnia quæ faciet*) Non loquitur de operibus carnis, sed de fructibus Spiritus, *Galat. 5. v. 22.* Impiis enim dictum est; nihil habebitis prosperum, *Jerem. 2. v. 37.*

C

33. *Prospe-*



33. *Prosperabuntur* non loquitur de prosperitate hujus seculi. Ea enim fruuntur impii ac iniusti, cum contra pii & iusti tendunt per angusta ad angusta, *Act. 14. v. 22. 2. Timoth. 3. v. 12.*

Loci Communes.

1. **H**inc observamus, & in succum, quod dicitur, & sanguinem nostrum convertimus, quod pii, renati & iusti comparantur *ligno sive arbori*. Videant igitur ne cum primis nostris parentibus iterum comedant de arbore scientiæ boni & mali, *Gen. 2. v. 17.* ne securis ad radicem arboris ponatur, *Matth. 3. 10.* & pudore afficiantur propter arbores concupiscentiæ, & idololatriæ, *Esa. 1. v. 29.* sed hoc agant, ut dies arboris eorum sint, *Esa. 65. v. 22.* ne, ut naturalis Mors etiam faxis arboribusq; venit; ita excisi à vite Christo & fructum non ferentes *Iohan. 15. v. 2.* morte marcescant æterna, & ita arbores fiant bis mortuæ & eradicatæ, *Epist. Iud. v. 12.*

2. Quod comparantur *arbori plantatæ*, quæ plantatio quid aliud est quàm in Christum, qui est virgulum Isai, *Esa. 11. v. 1.* in das zarte Reislein von Nazareth/ insitio, de qua Apostolus *Rom. 11. v. 17.* Sic qui plantatus est in atriis Dei nostri florebit, *Psal. 92. v. 14.* & adhuc germinabit in senectute, pingvis & viridis erit, ut annunciet quod rectus sit Jehova, *ibidem v. 16.* Videant igitur ne excindantur *Rom. 11. v. 22.* Nam renatos qui fide stant, rursus per peccata vastantia conscientiam excindi, ut D. Petrus loquitur, & gratia Dei excidere, fidemq; & Spiritum sanctum amittere posse, certo certius est.

3. Quod comparantur *arbori in horto plantatæ*. Extra hortum enim conclusum, qui est Ecclesia, nulla est

est salus, ex *Ioëlis 2. v. 32. Esa. 37. v. 32.* Et qui in eo plantati non sunt, vera Ecclesie membra non sunt, contra Bellarminum. Sunt quidem impii & mali in Ecclesia, sed non sunt de Ecclesia. In hoc medio populi mali, est populus bonus qui suscepit misericordiam DEI, *Augustinus super Psalm. 47.*

4. Quod comparantur *arbori plantata secus decursus aquarum.* Hoc ipso denotatur vis & efficacia verbi & Sacramentorum, contra Cinglium & Svenckfeldium. Hæc enim sunt organa, per quæ Spiritus sanctus nos regenerat, *Esa. 12. v. 5. Ioan. 4. v. 10. & 5. v. 8. &* quia per ea operatur Spiritus sanctus, idè, ut observarunt Chrysostomus & Cyrillus, comparatur aquæ vivæ *Ioan. 4. v. 10. & 7. v. 38. Ioëlis 2. v. 28.* Aqua viva sic fluit, inquit *Augustinus tract. 15. in Iohan:* ut suo sit conjuncta principio à quo fluit, & à quo ortum suum habet; ita gratia Spiritus sancti suo semper est conjuncta principio, nosq; conjunctos efficit, pendens semper à Spiritu sancto. Per quam ipse etiam Spiritus in nobis habitat, nobiscum unitur, ut jungamur ipsi. *1. Corinth. 6.* nec tantum nos jungit gratia Spiritus sancti tanquam principio appropriationis, ut loqq. sed toti Trinitati, quæ principium est Efficiens. Unde Anastasius Sinaita *tom. 1. Bibliothec. p. 192.* Aquam, inquit, & Spiritum sanctum veluti quandam inter se habentia cognationem & naturæ conjunctionem, in diversis locis simul ponit scriptura: ubi tamen non facimus cum Calvino, H. Zanchio, Bucano & aliis qui *Iohan. 3. vers. 5.* per aquam intelligunt Spiritum sanctum.

5. Quod comparantur *arbori fructifera:* Non salici, quæ arbor Botanicis est frugiperda, nō myricæ, cuj⁹

mentio fit *Jerem. 17. v. 6.* & *Plinio lib. 24. v. 9.* arbor est sterilis & infelix; non arboribus aliis infelicibus damnataq; religionis, apud eundem *Plinium, lib. 16. cap. 26.* quæ neq; feruntur unquam neq; fructus ferunt. Operam igitur demus ut fructus feramus bonos *Matth. 7. v. 17.* faciamus fructus pœnitentia dignos, *Matth. 3. v. 8.* & in domino confidamus, & DEUS sit fiducia nostra, *Jerem. 17. v. 7. 8.* & non dicat Eunu- chus: Ecce ego lignum aridum *Esa. 56. v. 3.*

6. Quod comparantur *arbori uni*, idq; hanc ob causam, ut omnium felicium arborum felicitates in unum coactæ attribuantur illi, qui timet dominum, & meditatatur legem Dei, &c. Quemadmodum enim omnes & singulæ arbores propter fructus suos dicuntur felices; ita felix, beatus, dives, benedictus, omni bonitate affluens est, omniumq; virtutum germina protrudit, qui in viis Domini ambulat, & in Jehova confidit, ut ita sit ter felix & terq; quaterq; beatus, hoc est, omnibus modis. Nam quod tribus convenit omne meritò dicitur, ut docet *Aristoteles lib. 1. de cælo.* Ecce tot & tanta bona manent illum virum, qui describitur hujus *Psal. v. 1. & 2.*

7. Quod comparantur non arbori cuilibet, sed *palme*, de multis monet, si naturam palmæ ex *Plinio lib. 13. cap. 4. & 16. cap. 20.* & aliis consideremus: Palma non nascitur in alia parte terrarum nisi in calida, Frugifera verò nunquam nisi in fervida. Gignitur levi, sabulosaq; terra, majore in parte & nitrosa, gaudet & riguis, totoq; anno bibere amat, à fimo quidem eam lædi putant. &c. Sic fides nascitur in corde contrito & humiliato, sic accenditur à Spiritu sancto, sic rivulis Evangelii irrigatur; sic fumo corruptæ doctri-

doctrinæ & vulneribus conscientiaë læditur: & ut
palma semper est frugifera; ita fides nunquam est
ἀκαρπῆ Ⓞ: nec labor virorum piorum frustraneus e-
vadit, sed omnia, ut loquitur textus, prosperabuntur.
Electi mei non laborabunt frustra, *Esa. 65. v. 23.* Non
labor in domino vester inanis erit. *1. Corinth. 15. v. 58.*
In hoc glorificatur pater meus, si fiatis mei discipuli,
& fructum multum feratis, & fructus vester maneat,
inquit salvator. *Joan. 15. v. 8.* Et:

*Fortius ut duro surgit sub pondere palma,
Sic magis accrescit duris Ecclesia rebus.*

Crescimus dum metimur, inquit Tertullianus.
Quò magis premimur eò magis erigimur, dicebat O-
lympias apud Nicephorum *lib. 10. cap. 11.* Et rursus, ut
palma imposita onera sustinet, & magis pressa magis
magisq; assurgit: ita fides est victoria nostra quæ vin-
cit mundum, & in arumnis maximè conspicitur. Et
deniq; , ut palmæ præferantur victoribus. Unde
Phrasis, palmam reportare: ita fideles à Diabolo,
mundo, carne propria victoriam reportant, &c.

8. Sed quid de foliis hujus arboris obser-
vamus? Quoties intramus hortos nostros, arbores &
folia conspiciamus, toties cum primis nostris parenti-
bus oculos aperiamus, & ex esu fructus prohibiti co-
gnoscamus nos nudos esse. Corporum oculi, in scri-
ptura sacra, quinque modis dicuntur aperti 1. cum na-
turaliter intenduntur ad videndum, ut *Danielis 9. v. 18.*
2. cum cæcis visus restituitur, ut *Joannis 9. v. 14. Esai. 35.*
v. 5. & 42. v. 7. 3. cum excæcati à DEO, rursus videre di-
cuntur & permittuntur, ut *2. Reg. 6. v. 20.* 4. cum oculi
divinitus retenti rursus aperiuntur, ut *Luc. 24. v. 31.*

C 3

5. Quum



5. Quum aperiuntur ad videndum singularia Dei opera, *Gen. 21. v. 19. 2. Regum. 6. v. 17. vel etiam ad conspiciendam propriam turpitudinem, quomodo aperiuntur Bileamo. Num. 22. v. 31. Sic etiam aperiuntur Protoplastis. Aperti sunt oculi non ad videndum (neq; enim cæci erant creati) sed ad discernendum inter bonum quod amiserant, & malum in quod inciderant, Augustin. de Civit. Dei lib. 14. v. 17. Aperuit oculos, ut culpam suam viderent, Amb. de parad. cap. 14. Ita inquam, & nos oculos aperiamus, nuditatem nostram deploremus, & steriles arbores nos esse doleamus. Ne autem perizomata nobis ex foliis conficiamus; ô frivolum remedium more protoplastorum fauciatis conscientiis texere perizomata ad velamentum non ad medicamentum (exclamat Bernhardus) id quod faciunt hypocritæ & heretici, qui quovis pre-textu ne vos suos tegere conantur; sed comparemus folia perpetuò virentia justitiæ fidei, quæ est in Christo Jesu, & cum ea comparavimus, curemus ne iterum decidant, marcescant aut arescant.*

9. Observemus etiam unde sit rerum nostrarum prosperitas? Sanè à Deo: Is enim vias sive opera piorum dirigit, ut manifestum est in Josepho, de quo scribitur: Fuit Deus cum eo, & erat vir in cunctis prosperè agens, *Gen. 39. v. 2. 3.* Hæc (sapientia) justum non dereliquit, sed à peccatoribus liberavit eum, descenditq; cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni &c. *Sapient. 10. v. 13. & seqq.* in Ezechia, de quo ita legitur; in omnibus operibus suis fecit prosperè quæ voluit, *2. Paral. 32. v. 20.* In populo Israelitico, quem sic alloquebatur Josphatus: Credite in Domino Deo vestro, & securi eritis;

tis; Credite Prophetis ejus & cuncta evenient prosperè! *Ibid. cap. 20. v. 20.* Et hoc est quod in nostro Psalmo dicitur: Et omnia quæ faciet, prosperabuntur: hoc est quod dicitur *Psal. 73.* Justis benè debet esse.

10. Observamus ex hoc tertio ut & secundo versiculis, scripturam sacram perfectam, omniaq; complecti quæ ad veram beatitudinem sunt necessaria. Omnis enim perfectus effectus est à causa perfecta. *Vide 2. Timoth. 3. v. 16. 17. Ioan. 20. 31. Luc. 16.* Et cum Spiritus sanctus expressè asserat nihil ei esse addendum, quis de perfectione ejus dubitet? Quod si perfecta est, abeant cum suis traditionibus Pontificii, quò velint. Sed tempus est, ut commendationem meam super prima parte finiam.

Pars Secunda.

1. **U**T exaggeret Spiritus sanctus magnitudinem infelicitatis impiorum, verbis utitur emphaticis, Antithesi, *βραχυλογία*, & Schemate orationis, quod Hebræi vocant *Derec Kezarab*, Fabio esset Synecdoche.

2. *Non sic impij, non sic*) ita enim legit interpret vulgaris, licet in Hebræo non repetantur verba: *Non sic*, à Græcis adjecta sunt verba: *a facie terra*; id quod factum est explicandæ sententiæ ergò.

3. Porro pius Hieropsaltes comparavit cum arbore, impius autem jam similis est paleæ, licet aliàs comparetur myricæ, *Ier. 18. v. 6.* lauro, *Psalmo 37. v. 35.* quo iterum exaggeratur summa impiorum infelicitas.

4. *Non sic impij, non sic, sed tanquam palea*) In Hebræo est *Motz*, quæ vox non tantum significat
sim.

simpliciter paleas, sed palearum minutias, sive quisquilias, quæ vento dispersæ omnia commaculant & oculos obeuntium petunt læduntque.

5. Similis ferè impiorum comparatio est apud Esaiam cap. 17. ubi de dispergenda multitudine hostium dicitur; persecutione agentur, ceu quisquiliæ in montibus expositæ vento. *Confer Hiob. 21. vers. 18. Psalm. 35. v. 5. & Matth. 3. v. 15.* ubi Baptista meminit palearum comburendarum igni inextingvibili.

6. Sed tanquam palea aut pulvis (quod eodem recidit, quia palea insufflante vento, instar pulveris dissipatur *Aggei 1. v. 9.* sæpè etiam in pulverem redigitur) quem projicit aut dispellit ventus. Ventus est inobservabilis, ut nescias unde veniat & quo eat, *Ioan. 3. v. 5.* ita manus DEI ultrix ac vindicatrix est inobservabilis, quam tum demum sentiunt impii, quum jam jam incipiunt exagitari & disturbari, hoc est, ut loquitur Apostolus quum dicunt pax & tuta omnia *1. Thes. 5. vers. 3.* nihilominus *sera tamen tacitis poena venit pedibus.*

7. *Propterea*) si enim ut paleæ dispersi sunt impii, qui consistent in Dei judicio, & sanctorum consilio? *vide Psal. 5. v. 5.* Annon audient vocem judiciariam, *Matth. 25. v. 41.* discedite?

8. *Non consistent*) pleriq; legunt non surgent. Sed in Hebræo est scriptum, lo jakumu, quod propriè significat stare, consistere. Est igitur hîc Metaphora, quia consistere vel stare in judicio, significat, vincere judicium, & causam probare. Unde est phrasis latinorum huic contraria, *cadere causa*, adeoq; rectè Melanthon hæc verba: *non consistent in judicio*, sic interpretre-



terpretantur; non stare poterunt sua impietate, cum ceperint verbo Dei judicari.

9. *Non consistent in iudicio*) Ex his verbis Origines concludere voluit, impios ad iudicium novissimi diei non esse resurrecturos, sed falsissimè: Nam præterquam quod ea opinatio universæ scripturæ sacræ & justitiæ divinæ è diametro est contraria, refutatur ea ex phrasi, sensu, & scopo prophetico. Et ut maximè pro *consistent* cum Origine vertamus, *non resurgent*, nihil tamen incommodi inde sequitur, quia resurgent impii quidem, sed non ad vitam, verum ad mortem, hoc est; ut causa cadant, & condementur, quod quid aliud est quàm non stare aut consistere in iudicio?

10. *In iudicio*) iudicii vox in scriptura sacra quatuor potissimùm accipitur modis. 1. in significatione forensi, ut in illo *Ierem. 26. v. 9.* iudicium mortis est viro huic. Confer *Matth. 12. v. 18.* 2. Sumitur pro causæ cognitione, ut *Ierem. 2. v. 9.* iudicio contendam vobiscum, & *cap. 25.* iudicium est Jehovæ cum gentibus 3. pro *Mensura* sive moderatione iudicii, ut *Ierem. 20. v. 24.* corripe me domine in iudicio, 4. pro iudicio condemnationis. Quocunq; sensu accipias, dicet Spiritus S. *Impii non consistunt in iudicio.*

11. Alii dispescunt 1. in iudicium nostrum, de quo verba Apostoli, si nos ipsos iudicamus. *1. Corinth. 11. v. 13.* 2. in iudicium Dei, de quo ibidem Apostolus, non iudicaremur à Domino. 3. In iudicium emigrationis: unde Rabbi David Kimhi, per iudicium hic intelligit diem mortis. 4. In iudicium condemnationis. De quocunq; iudicio accipias, non erraveris.

12. *Quia novit*) Phrasis in scriptura sacra frequens

D

quens



quens est; quid est homo, quod agnoscis eum, *Pf. 144. v. 3.* Et agnovit in tribulatione animam meam, *Pfalm. 31. vers. 8.* Et te cognovi in utero meo *Jerem. 1. vers. 5.*

13. *Novit*) puta notitia, ut eleganter loquitur venerabilis Beda, approbationis, promotionis, remunerationis. Unde est regula Theologica: Verba notitiæ in sacris literis important affectum & effectum.

14. *Dominus*) Notatur unica ac vera causa beatitudinis justorum. Impios enim ipse non novit, *Matth. 7. v. 23.*

15. *Viam*) vitam, institutum, consilia, actiones (vide Psalmum 134. v. 35. 5.) religionem confessionem, fidem, Ita enim viæ vocabulum etiam usurpatur *Actor. 9. v. 2. Exod. 32. v. 8.*

16. *Iustorum*) in hebræo vocantur Zaddikim, & sunt qui vera fide in Messiam credunt, verbum ejus audiunt, Sacramentis utuntur &c.

17. *Sed via peccatorum peribit*) Est Metonymia, pro impii peribunt cum via, vita, actionibus, consiliis suis, cultibus electitiis, religione, fide, aut veriùs perfidia sua.

18. *Peribit*) peribunt autem morte prima & secunda, *Apo. 20. v. 5, 15.*

Doctrinæ sive loci Communes.

1. **P**rima doctrina est de summa infelicitate impiorum. De his enim pronunciat Spiritus sanctus ista; 1. quòd non sint beati sicut pii. 2. Sed proiiciantur sicut pulvis. 3. quòd non consistant in iudicio, & consilio

lio iustorum. 4. quod Deus viam eorum improbet. 5. quod
via eorum pereat. Idq; omne propter contemptum ver-
bi, quem quales poenae concomitentur, videre est,
Deut. 28. Amos. 8. & testantur illud, Cain, Cham, Saul,
Nero, Julianus, quinimò tota regio orientalis, quæ
pro sono Prophetarum & Apostolorum hodie audit
latratus canum, Turcæ, Atheorum, qui foris sunt &
Christiani nominis hostes infensissimi.

2. *Secunda* doctrina est de peccatorum nullita-
te, & *ἀδελότητι*; Comparantur enim nihilo, aut re nullius
assis faciendæ, & ne hettæ quidem æstimandæ. Nihil
autem est peccatum (non negativè sed) privativè,
ut loquimur in Scholis. Cæterum si hominis essen-
tiam conferemus cum essentia Jehovæ, homo, ut
cum Terentio loquar, est aliquid nihil; Solus
enim D E U S Jehova est, & vocatur
ὁ ὢν Exod. 3. v. 14. neq; hoc nomen ulli creaturæ abso-
lutè communicat. Unde B. August. *lib. 7. confessionum*
cap. 11. in hanc sententiam Deum affatur: Inspexi cæ-
tera infra te, & vidi nec omninò esse, nec omnino
non esse: Esse quidem, quoniam abs te sunt, non esse
autem, quoniam id quod tu es, non sunt: id enim ve-
rè est quòd immutabiliter manet. *Confer. lib. 8. de Civ.*
Dei cap. 11. Et Euseb. lib. 11. de preparat: Evangelica cap. 7.
hoc respectu vel pii & beati nihil sunt.

Eodem modo nihil sunt, si consideremus vani-
tatem, cui propter peccatum subjecti sunt omnes.
Hinc illa, Quid est homo, quod memor es ejus *Psal.*
8. v. 5. & 144. v. 3. Ecce vita mea ut nihilum est coram
te, *Psal. 39. v. 7. 8.*

3. At verò quo modo peccatum & peccatores
sunt Nihil? Respondeat Bonaventura ex suo cõpendio

D 2

verbis



verbis istis. 1. Propter defectum, quia peccatum non est res aliqua naturalis, sed corruptio boni. 2. Propter effectum, quia peccatum annihilat hominem & deficere facit à vero esse. 3. Propter despectum, quia vilem facit hominem & indignum præmio. *Confer. August. tomo. 7. de natur. & grat. contra Pelag. cap. 20. & nobilissimum ac doctissimum Gallum, Philip. de Mornay in libris de veritate religionis Christiane. cap. 2. & 3.*

3. Tertia doctrina est de consiliis & actionibus impiorum: Anne ea latum sortientur exitum? Minimè omnium, sed dissipabuntur instar paleæ, aut pulveris. Unde Spiritus sanctus *Esa. 8. cap. v. 10.* consiliariis malignantium sic insultat; *Classicum canite impii, & vincimini: Inite consilium & dissipabitur, loquimini verbum & non fiat, quia hic est Immanuel.* Ah quã callida & calida cõsilia hæten⁹ cõtra nos coegerunt Papistæ & Calvinistæ! At via impiorum perit, & nos qui in cathedra pestilentie non sedimus, non sine tripudio ex lamentationibus *Ier. 6. 3. v. 22.* canimus, *Misericordie Domini quod non consumpti sumus;* & cum Paulo *Rom. 8. v. 31.* Si Deus pro nobis, quis contra nos? aut ex *Matth. cap. 2. v. 20.* Mortui sunt, qui quærebant animam pueri. Interim machinationibus & consultationibus impiorum, qua fieri potest diligentia resistamus, quod tum fit, si piè credamus, sanctè vivamus, devotè oremus. Contra Imperatorem Theodosium & Christianos conspiraverat olim manus impiorum. At, ut palea à vento, dispergebantur. Memorant enim historiae, quod ad precationem ejus Deus miserit ventos, qui tela in hostes oppositos turmatim repleserint, ut, teste Augustino, plures propriis, quàm alienis telis perierint.

4. Quarta



4. *Quarta* est de inquietudine impiorum; Comparentur enim paleæ volanti, quoniam semper tumultuantur, per omnia ruunt, quietè nunquam vivunt, ut mare concitantur, *Esa. 57. v. 20.* Exemplo sunt Cain, Pharaon, Saul, Achitophel &c. cum contra pii sint quieti, & nunquam svaviùs quàm in Domino Deo suo quiescunt. Unde Augustinus in initio *librorum confessionum Deum* sic alloquitur. Quia fecisti nos ad te, inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.

5. *Quinta* est de impiorum securitate. Comparat enim Spiritus sanctus invisibilem Dei potentiam & manum impiorum ultricem vento, qui est inobservabilis, ut nescias quò vadat & unde veniat: Ita profectò impii ultionem divinam non sentiunt, ut innuit etiam Apostolus. *1. Thessal. 5. v. 3.* Cum dixerint pax est, & tuta omnia, tunc repentinus ipsis imminet interitus, sicut dolor partus mulieri prægnanti; si differant pœnitentiam, vindex habebit pedes laneos, manus ferreas, & tarditatem compensabit supplicii gravitate, id quod Ethnici quoq; agnovère. Sedulo igitur caveamus, ne impiis similes efficiamur & vestigia eorundem premamus, hoc præsertim novissimo tempore, quo imminet dies iudicii, in quo vix justus consistet, & cuius adventus nemini est cognitus. Veniet ut fur in nocte, ut fulgur ab oriente, *Matth. 24.* Et latet unus dies ut observetur omnis dies. Veniet, inquam, veniet dies iudicii, ubi plus valebunt pura corda, quàm astuta verba, & conscientia bona, quàm marsupia plena, quando quidem iudex ille non fallitur nec flectitur, *Bernhardus tomo 2. operum cap. 110. fol. 976.*

D 3

6. Certò



6. Certò igitur contra Epicureos & illusores
2. Pet. 3. v. 3. statuamus, restare ultimum in aliquod judi-
cium, in quo impiorum nemo consistet. Et quoties
de die iudicii hujus cogitamus, toties totum cum Hiero-
nymo corde & corpore contremiscamus. Quis enim
nostrum non timebit, cum iudex apparebit? Ignis an-
te eum ardebit, peccatores qui delebit. Quid sum
miserum dicturus, quem patronum rogaturus,
quum iudex est venturus? cuncta stricte discussurus?
Absit tamen, ut planè desperemus, sed capita nostra
levemus, scientes quòd nostra & omnium piorum
redemptio appropinquet. Luc. 21. v. 28. Est enim iudi-
cium Dei & formidandum & amandum. Formidan-
dum malis propter pœnam; amandum bonis pro-
pter coronam.

7. Cùm dicat Psalmus Deum nosse viam ju-
storum in eam curam unicè incumbamus, ut & nos
simus in numero justorum, hoc est, credamus in eum
qui justificat impium Rom. 4. v. 5. quia Deo nobis fa-
ctus est justitia & sanctificatio. 1. Corinth. 1. v. 30. cujus
unius obedientia, justii constituimur multi, Rom. 5. v.
19. Sanctorum enim vita secundum Ambrosium, cæ-
teris norma est vivendi. Tenendum autem justitiam
esse duplicem, alteram literalem, sive civilem, aut
externam: alteram spirituales & internam: illam
habebat Paulus ante conversionem, Philip. 3. v. 6. & ja-
ctabundus Phariseus, Luc. 18. v. 11. At illa æternam sa-
lutem & beatitudinem non confert. Matth. 5. v. 20. Phi-
lip. 3. v. 8. Rom. 9. v. 30. & 10. v. 3. Hæc cum perfecta sit le-
gis impletio, sanctis & renatis in hac vita præstitum est
impossibile. Est enim instar panni menstruatae, Esa.
64. v. 6. Coram Deo omnis justitia nostra injusta est.

Bernhar-



Bernhardus. Non in iustitia nostra prosteruimus preces ante faciem, sed in miserationibus tuis multis, inquit *Daniel. cap. 9. v. 18.* iustitia nostra non est ex proprio merito, sed in Dei consistit misericordia, inquit præclare *Hieron. lib. 1. aduersus Pelag.* Quomodo ergo iusti reputamur coram Deo? Per misericordiam & gratiam Dei, propter obedientiam Christi, quam ille legi præstitit *Gal. 4. v. 5.* factus obediens patri ad mortem crucis, *Philip. 2. v. 8.* Hunc ergo qui vera fide apprehendit, vitam habet æternam, *Ioannis 3. v. 16.* & in pace dimittitur, *Luc. 2. v. 19.* iustificati quippe ex fide pacem habemus, *Rom. 5. v. 1.*

8. Omnes in via sumus, inquit *Basilius* super hæc verba Psalmi: *Dominus novit viam iustorum.* In via ergo non respiciamus ad ea que retrò sunt, *Phil. 3. v. 13.* *Luc. 17. v. 32.* ut retrospectiebant Israelitæ, *Num. 8. v. 5.* Demas, *2. Timoth. 4. v. 10.* Si vis & tu evadere, inquit *Ambrosius*, ne trospicias retrò, sed ante, aspice ubi Christus est, qui dicat tibi; vade retro, retrò Sodoma est, plena flagitii, retrò Gomorra, vitiis scatens. Criminum regio. Nazianzeni sunt hi versus:

*Optimus est rectæ vitæ qui tramite currit,
Nec Sodoma cineres solos respectat, ab igne
Insolito, vastæ probrosos propter amores,
Sed Patria oblitus contendit ad ardua montis
Ne truncus fiat salis & mala, fabula mundi.*

Quemadmodum enim (utor verbis *Chrysostomi* ex sermone de virtutibus & vitiis) qui per sublatum funem scandere ac descendere exercent, si parùm aliquid oculorum acies erravit, præcipites continuò ruunt; ita qui spiritualem grassantur viam, si breve segnitæ tempus concesserint, per anfractus quosdam proni sæpe trudentur.

9. Insignis



9. Insignis consolatio est in verbis: *Deus novit vias justorum.* Non enim novit simpliciter, ut Deus omniscius, sed novit ut Pater, cui opera filiorum aut reconciliatorum, etiam imperfecta placent: novit ut remunerator, qui in viis, hoc est, legitima vocatione nobis adest. *Psalm. 91.* Quidni igitur Deo ad monitus Propheticos, vias nostras commendemus? quidni labores vocationis nostræ obeundo, cordati simus? Cur non exhortationi paraphrastæ *Psalm. 37. vers. 3.* obsecundemus?

Geh deinen Weg/auff rechtem Steg/
Fahr fort vnd leid/trag keinen Reid/
Setz/hoff auff Gott/in aller Noth/
Sey still vnd traw/hab acht vnd schaw/
Groß Wunder wirstu sehen.

Ac quia in viis illis nostris sunt latrones & tot insidiatores, hominisq; non sit dirigere viam suam, *Jerem. 10. v. 32.* cur non domo egredientes ad functiones sive has sive illas, quas vocatio legitima requirit, sic oremus:

Herr in deinem Namen geh ich auß/
Bewahr du heut mein ganzes Haus/
Lass dir O Gott befohlen seyn
Die Hausfrau vnd die Kinder mein:
Behüt mein Herz/mein Mund vnd Hand/
Vor Unfall vnd vor Sünd vnd Schand/
Gib das ich mein Thun wol richte auß/
Vnd frölich wieder kom zu Haus/
Auff das/ O trewer Gott vnd Herr/
Alle gereich zu deinem Lob vnd Ehr/ Amen.

Cur

Cur non in officio nostro simus seduli, fidi, laboriosi, quippe quibus notum est hoc aureum: *Novit Dominus viam justorum?* Novilaborem tuum, *Apoc. 3. v. 1.* cur in viis nostris metuamus pericula? Audi sic te alloquentem Augustinum: Noli falli, novit te Dominus Deus tuus, & sit te novit ut capillos tuos numeratos habeat; lacrimas suorum numerat, & mortem in pretio habet.

10. Cur verò novit Deus viam justorum, an propter opera nostra? an quòd errare, & à via diverti non possumus? Minimè gentium. *Jer. 10. v. 32.* sed quicquid novit, est ex gratia. Nos enim omnes sicut oves erravimus. *Esa. 53. v. 6.* Ego sum ovis quæ erravi, *Psalms. 119. v. ultimo.* Ego sum ovis quæ erravi, inquit Ambrosius, require eam bone pastor, & appone ovili tuo, ut justificeris in sermonibus tuis. Redeat ergo ovis perdita, non in viribus suis, sed portata humeris salvatoris, quæ perdere se potuit, invenire se non potuit.

11. Itaq; iterum edoceamur, Deum nulla ratione autorem esse peccati, Novit enim, approbat, promovet, remunerat viam justorum. At quid via impiorum? *peribit.* Quapropter quod Deus non vult, non approbat, non promovet, remuneratur, sed punit, illius autor non est. Prius est ex verbis *Novit, peribit.* Ergo posterius erit & quidem contra Calvinistas recentiores & veteres.

12. Deniq; via impiorum perit. Via (id est doctrina, Religio, cultus) quam ingressus est ante annos centum B. Lutherus, quamq; hodieq; nos Augustanæ Confessionis invariatae addicti, præviâ scripturæ Sacrae lucernâ, ingredimur, non perit. Ergo hæc via

E

non



non est impiorum, non hereticorum, ut imprudenter
clamitant, & impudenter calumniantur Jesuitæ: adeo
verum est divinæ veritatis verbum: Verbum Domini
manet in æternum; *Esa. 40. v. 8.* Cùm anno 1521. Lu-
therus Cæsaris ante pedes staret, proceresq; potentes
Accola quâ Rheni Vangio littus adit, & post multam
actionem ab ipso Archiepiscopus Trevirensis peteret
remedia, quibus occurri posset, respondebat: Meliora
non esse remedia, quàm de quibus Gamaliel *Actor. 5.*
dixisset teste S. Luca: Si ex hominibus consilium aut
opus hoc est, dissolvetur: si verò ex Deo; dissolvere
non poteritis. Non potuerunt dissolvere, O beatissi-
ma anima Luthere? Quare te & nos per totos hos
centum annos viam Impiorum ingressos haud esse
Jubilamus: & ut in Cathedra pestilentiae sedere nos
nunquam contingat, piis precibus rogamus, Deum in
Trinitate unum, in unitate Trinum, cui pro revela-
tione & conservatione verbi sui, per *D. Lutherum* re-
staurati, & quasi postliminiò reducti, perq; Serenissi-
mos ac Illustrissimos Saxoniae Electores & Duces
-laudatissimos conservati, iterum atq; iterum
Jubilamus, & gratias agimus
sempiternas.



Monitio

Monitio ad Lectorem.

Cum frontem Iesuita habeant meretriciam, nec in numero esse velint eorum, quorum frontem Deus fronde est coronaturus, aliquid de fronde ut dicam, cura pretium aestimo.

Frondis enim genus in Jubilo meo, quem voco, Prophetico & Poëtico, Typotheta masculino genere exscripsit. Verum Ovidio frondes sunt arboreæ, detonsæ, opacæ, Horatio aridæ, Columella Cupressinæ, Virgilio densæ, teneræ, carpendæ, caducæ, festæ & glaucæ. Fœmini generis & mihi est tum frons frondis, tum frons frontis, frons frondis purpurei in editione prima typographo soli. Quare perficient frontem, si quam habent, Iesuita, & purpurea sua fronde, eos, quos Christus purpureo Sanguine pretiosissime redemit, qui in fronte signatam habent literam T, quosq; fronde justitiæ & vitæ coronaturus est, velare cessent, nisi expectare velint frontem asperam Ovidii, ferocem, minacem & hirtam Senecæ, inverecundam Quintiliani, rigidam Lucani, protervam Horatii, Setigeram Statii. &c.

Tantum est lector pie, vale, & salve

à T.


Doctore FINCKIO, qui hac mantissa loco adiciebat die 4. Novembris, Anno, quem signat versus Jesuitis monitorius:

CeDit a Mor rebV's, res age tVIV's erIs.

In



In
Einem
Stehet
Unser
Seligkeit.



Mendacia	¶¶	Luce
Antichristi	¶¶	Veritatis
Refutavit,	¶¶	Triumphavit ;
Tribuit	¶¶	Hereses
Iesu	¶¶	Ecclesie
Nomen	¶¶	Romane
Unicum	¶¶	Verbo
Salutis.	¶¶	Superavit



F I N I S.

Fol 808a




ULB Halle 3
002 728 176

A standard 1D barcode is located on the library label, positioned below the identification number.

TA 502

60A







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



R II
COM-

HERANO

o Gief

Superinten-
proflore

Ed 3567

ANNI.

II.

